



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M.XC.VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

tiencia aliquorum improbitatem, injurias contemptumque pertulerit, de cujus paulo post ulterioribus conatibus, audiemus. *Ex Vita & Monumentis Fuliensium & Amicissimo nobis Philippo Malabayla.*

*Gerardus*  
*Episc. Au-*  
*domarenfis*  
*moritur.*  
Ipso anno Illustrissimus & Reverendissimus Gerardus Americurius noster Audomarenfis, ex Monacho & Abbate Bertiniano Episcopus communem mortalium viam moriendo ingreditur, relicta nominis fama immortalis. Vir fuit, teste Ferreolo Loricario, pietate, prudentia atque liberalitate commendabilis, studiosorumque singularis amator: ac proinde recte de eo Joannes Molanus, libro de Canonici 2. cap. 42. ita scribit: *Valde porro Seminario Clericorum erigendo, occurrit illustre in Belgio exemplum Gerardi ab Hammericourt Abbatis Monasterij Sancti Bertini, quod est intra oppidum S. Audomari, & ejusdem oppidi primi Episcopi, cujus ante paucos annos defuncti memoria & Benedictione est: Is enim, necdum in Episcopum postulatus, ac proinde ut Abbas, non ut Episcopus ( ecce quam accurate exponderet meritum in Monacho dignum Episcopo factum doctissimus aequè ac Religiosissimus Scriptor Molanus) in sua civitate incipit in honorem septuaginta duorum Discipulorum Christi, pro totidem studiosis fundationem erigere, ac dotare, ne unquam, aut Civitati, aut Territorio Audomarenfi, boni & veri pastores, ab Abbate plerisque in locis nominandi deessent. Ad quorum etiam institutionem, & totius Urbis suae majorem ornatum, Episcopus factus, Collegium Societatis JESU ibidem & erexit & dotavit. Denique ut Seminarium illud non tantum Seminarium sed etiam Plantarium esset, in Lovaniensi Universitate domum exstruxit, quam Collegium Sancti Bertini dici voluit, etsi vulgo Collegium Audomarense dicitur, in quo sub regimine unius Praesidis, in gravioribus disciplinis formantur, postquam in studiis inferioribus, sufficienter instituti fuerint. Ita Molanus videatur Ferreolus Locrius, Claud. Robert. &c.*

*Matthæus*  
*Moullarti-*  
*us Episc. A-*  
*trebat. Ur-*  
*berm solem-*  
*niter inve-*  
*bitur.*  
Ipso anno, Calendis Octobris Matthæus Moullartius ex Gisleniano in Hannonia Abbate, in Atrebatium Pontificem, ante biennium inauguratus, urbem magna Cleri Senatus Populique Atrebatensis congratulatione solem-

niter Urbem ingressus, demandatam sibi spartam colere & ornare magno animo aggreditur. Quo in munere, tanto cum splendore partes suas gessit, omnesque perfecti Episcopi numeros explevit; ut cum labore pietas, vigilantia, prudentia, modestia, continentia, & ceterae quas in vero Pastore requirit Apostolus virtutes, in eo certare de laurea viderentur. Ut quantum in his duobus infimul Benedictini Ordinis Episcopis, uno eodemque tempore Germania nostra utilitatis, exempli, & fructus, & Redivivus in filijs suis Benedictus Pater solatij & gloriae habuerit, facile animadvertas.

*Ejus merita*  
*insignia.*

Moriuntur eodem hoc anno Hieronymus Cosentinus ex nobili familia Serfalius Abbas Casinensis, in rebus agendis, ut libro II. Virorum Illustr. Casinatum legitur, *mirabilis*. Et Dominus Vitalis à Bononia, lumen singulare sacrae familiae nostrae olivetanae, dum in Principe Basilica Neapolitana die cinerum pro concione labores finisset, vitam quoque finiens, omnium civium opinione Sanctus. *Ex Lan- celloro.*

*San. Hiero-*  
*nymus.*

Ponit eodem anno exuvias mortalitatis Gregorius à Virnenburg Sancti Martini Trevirensis Monasterij Abbas suffraganeus Archiepiscopi & Electoris Trevirensis, Vir, ut ejus loci Annales memorant, potens verbo & opere, pro Religione Catholica, miro fervore laborans & pugnans, cum 15. annis Monasterio utilissimè praestitisset, pridie Iduum Junij extinctus.

*Gregorius*  
*à Virne-*  
*burg Abbas*  
*S. Martini*  
*Trevir.*

JESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXVIII.  
Sancti Patris Benedicti M. XC.VIII.

Redivivus revera Benedictus in Christianissimo Galliarum Regno, & Fuliensis in primis Caenobio, sub hunc ipsum annum, si uspiam aliàs à tot ab obitu Magni Patriarchae saeculis, se prodidit, & reipsa comprobavit. Joannes Barrerius, primævo Spiritu succensissimus, cum nullis apud plerosque suorum precibus quidquam efficeret, ut ab honesta quidem, laxiore tamen, quam sanctissima requiret Regula, ad strictiorem eosdem vitam persuaderet, accepta ab Romano Pontifice licentiâ & benedictione, pro palatâ passim sanctâ suâ intentione, plurimos undecumque eodem concitatos

*V. Joann.*  
*Barrerij*  
*merita.*

R

tatos

Regula S.  
P. N. ad  
amulim  
observantia

atos spiritu sibi aggregat, provisione-  
que in diversis alijs Canobijs facta &  
ab Abbatibus Ordinis licentia impe-  
trata, delicatulos illos in alijs Mona-  
sterijs accommodat, affluente paulo  
post virorum lectissimorum copia, mi-  
rificè sibi de tanto ductore gratulanti-  
um, quibuscum concorditer convenit,  
de Regula Sanctissimi Patriarchæ Be-  
nedicti, absque ulla prorsus exceptio-  
ne, ad amulim strictissimè observan-  
da. Dictum, factum, nec multo post  
famâ tantæ Reformationis longè cir-  
cumdatâ, velut à vehementissimo cœ-  
litusque immisso incendio, plurimi  
quamprimum etiam remotissimè po-  
siti, mirabiliter correpti, eodem om-  
nino Spiritus fervore ferventissimè ex-  
arsère, nec Religiosi solum, sed & sæ-  
culares & delicatissimi omnis generis  
innutriti delicijs juvenes, cœleste hoc  
Institutum certatim exambirent, sum-  
maque complecterentur devotione &  
Generositate. *Ex Vita ejusdem, & Phi-  
lippo Malabayla.*

40. Marty-  
res Magi-  
enses.

Rursus illustrissimo & admirando  
in omnem æternitatem exemplo, qua-  
draginta ex Ordine nostro Martyres,  
Canobij Magiensis in Hibernia Mo-  
nachi, Sanguinem suum Fidei Orto-  
doxæ subsignandæ constantissimè im-  
pendunt, & sacratissima oblatione Cœ-  
lum lætificantes, felicissimâ sancti San-  
guinis purpurâ Regnum Hiberniæ ex-  
ornant. Fuerunt hi fulgidissima le-  
tissimæ familiæ nostræ Cisterciensis  
sydera & densissimas superioris sæcu-  
li atque huius ipsius anni nebulas ac  
tenebras, admirando sanè fulgore mi-  
rificè illustrârunt. Nam cum sacrilega  
Hæreticorum manus, sub impio & cru-  
delissimo foedissimæ Jezabelis Elisa-  
beth Anglorum Reginæ imperio, in  
eorum Monasterium grandi cum fu-  
rore irrueret, ipsi concursu ad tem-  
plum factò, ante Venerabile Altaris  
Sacramentum procumbentes, hostem-  
que in facie sui Ducis & Regis gene-  
rosè expectantes, intrepidi eorundem  
se gladijs objecerunt, seseque invicem  
ad mortem fortiter pro Christo sube-  
undam invitantes, capitis obruncatio-  
ne vitam mortalem terminârunt. Ac-  
cidit tunc res in primis memoranda,  
& ut gravissimis subnixâ auctoritati-  
bus & vulgo decantatissima, ad om-  
nem posteritatem haud immerito stu-

Generose  
mortem  
expectant.

diosissimè commendanda. Placet ex  
Henriquezio ut habet transcribere.  
Dum ista in Monasterio fierent, erat  
foris ejusdem Cellerarius, quibusdam  
negotijs occupatus, & reversus est eo-  
dem quo Hæretici recesserant die do-  
mum. Videntque Canobium deso-  
latum multum confusus, neminemque  
inveniens in Monasterio, suspicatus est  
ibi fuisse Hæreticos. Ubique scruta-  
tur, donec tandem omnes fratres suos  
sanctos invenit humi stratos, proprio-  
que immerfos sanguine, Chorumque  
tanquam pelagus quoddam cruore ex-  
undantem. Quos videns cœpit eorum  
vicem dolere: oculi ejus lachrymarum  
imbrem fundebant, quo sancta cor-  
pora madefaciebat. Cœpit præ tri-  
stitia exclamare, & licet sciret illos  
magna in Cœlo frui gloria; tamen nul-  
lam admittere consolationem poterat.  
Recordabatur tunc esse Vigiliam As-  
sumptionis sanctissimæ Virginis; cum-  
que videret illam celebrari non posse,  
ut quotannis fieri solebat, flexis geni-  
bus dixit: *Nostri Virgo purissima, unica  
Domina & Proseptrix nostra, quanta sol-  
licitudine, quanta devotione & diligentia,  
semper & tibi servierunt in hac domo, &  
celebrarunt omnia tua festa. Cur ergo per-  
mittis, ut tanta solemnitas, qualis ista est,  
negligatur hoc modo? Hæc multis cum  
lachrymis & suspirijs proculit, quod  
magis festum negligi, quàm Fratrum  
mortem doleret. Dum sic oraret,  
audit pulsari Monasterij campana, li-  
cet nemo illas accederet vel tangeret,  
& videt sanctorum Martyrum corpa  
surgere, & quodque suum caput hu-  
mo tollere, & corporibus imponere.  
Quo factò ad sedilia sua vadunt, & Ab-  
bas Vesperas, cæteris prosequentibus  
incipit; tanta cantus dulcedine & sua-  
vitate, ut potius Angeli, quam homi-  
nes viderentur. De tanto successu,  
& tam raro miraculo valde miratus  
est Cellerarius, & tam cantus dulcedi-  
ne captus est, ut apud se non esset.  
Magna cum gravitate & mora absol-  
verunt sancti Vesperas, quibus absol-  
lutis rursus mortui sunt, & in eundem  
starum redierunt. Miraculum hoc  
multis innotuit, & multi supersunt in  
Hibernia, qui illud evenisse memine-  
runt, potestque inter rarissima, quæ  
unquam in Catholica Ecclesia conti-  
gerunt memorari, sed ut DEUS ho-  
minum*

Memora-  
bilis ad m-  
nem æter-  
nitatem  
Historia.

Preces Ob-  
conomii p.

Redivivi  
Vesperas de  
B. M. V.  
celebrant.

minum necessitatibus se accommodat, cum videret Hibernos in Fide sua vacillare; voluit, ut eos confirmaret miraculum hoc contingere. Ita Henricus. Addit Manrique, apparuisse in resurgentiurum singulorum guttute, circulum rubeum, eo loco quo carnicum gladius penetraverat, habuisseque coronas in capite & palmas in manibus, dum dignissimas Regina Martyrum Vesperas, gloriosissimi huius Musici Martyres decantassent. Ex Henricus, Manrique & alijs.

In inferiori Germania mortalibus eripitur, immortalibus jungitur Lambertus cognomento Hanquart, Canonibus celeberrimi Gemblacensis meritissimus Antistes de quo, ut nos sciamus Epitaphium loquatur.

Hæc jacet.

R. D. Lambertus Hanquart hujus loci Abbas, qui cum Virgini uno fere annis presuisset, & non pauca sanctioris Vita probataque prudentia testimonia posteritati reliquisset, de Viris excessit anno Domini 1578. Mensis Augusti 28. die. Orate pro eo.

Symbolo usus fuit: sola manet Virtus. Vixit sub eodem, eodemque hoc anno mortuus est Joannes de Pastura locis hujus Prior, Vir Religiosus & eruditus, scriptor insignis, qui talia inter Commentarium in Psalmos & Cantica Canticorum edidit, sed & in Canonem Missæ similiter scripsit. Obijt 27. Decembris. 1578. Quo ipso anno carne similiter sedatus est, Quirinus Dovillet, Abbas Laticensis immediatus & dignissimus sanctæ memoriæ Ludovici Blosij successor; inter præcipuos hujus sæculi viros, haud immerito habitus, & omni posteritati commendandus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXIX.  
Sancti Paris Benedicti. M. XCVIII.

Iterum Cælo Empyreo lucidissimum mittit sydus Ordo noster, de sanctissima Congregatione sua Camaldulensi in Italia, sanctæ memoriæ Romualdum Fabrianensem, Montis Acuti perfectissimum Monachum, eâ sanctâ simplicitate virum, præter egregias alias virtutes, ut laudatissimo illi in Vitis Patrum, Paulo cognomento Simplici, jure merito compararetur. Fuit autem revera omni quasi humana sa-

piencia destitutus, sed Divina plenissimus omnem humanam familiaritatem, & commercia fugiens, totus Cælo intentus, inque Divinis absorptus hominis verè mundo mortui miraculum. Puritatis præterea extitit Angelicæ, Humilitatis maximæ, obedientiæ perfectissimæ, silentij strictissimi, tantæque innocentæ, ut planè crederetur, nunquam in omni vita mortaliter deliquisse. Captus aliquando à latronibus & arbori alligatus, morte ipsi intentata, eadem tamen mente & fronte sibi constitit, in hæc ipsa liberimè & securissimè erumpens: Facite mecum quantum DEUS permittit, inquit, mihi enim idem, sive hodie mori, sive die crastina. Patientiâ quàm maximè enituit, orationi jugiter intentus, jugiter sanctè fuit occupatus; serenissimo semper vultu, semperque hilaris in ipsa etiam morte, visus absque dolore & horrore, quasi ridens sanctam efflare animam. Decessit X. Cal. Novembris. Vitæ Monachicæ anno quinquagesimo sexto. Ex monim. Camald. August. Florent.

Ejusdem  
reliquatio.

Mortalitatis eodem anno exuvias reliquit, insignis Ordinis decus Tristandus de Bizet ex Abbate sancti Nicolai in Bosco Sanctonensis meritissimus Episcopus, Vir non minus vitæ inculpatæ perfectione, quàm singulari eruditione cultissimus Mecœnas Studiorum & Studioforum liberalissimus, vixit annos octuaginta, mortuus sexto Iduum Novembris. Ex rer. Gall. Script. Chenu. Cl. Roberto &c.

Obijt Tristandus  
Episc.  
Sancton.

Extinguitur item, multo bonorum omnium luctu, insignis Ordinis decus Thomas de Parentij Abbas celeberrimi Sancti Vedasti in Urbe Atrebatensis Monasterij, à puero sanctissimo Patriarchæ nostro Benedicto devotus & creditus, atque ab ipsomet Augustissimo Cæsare Carolo Quinto, ad Cænobium adductus & Abbati commendatus; jam tunc singularis modestiæ & maturitatis præferens speciem, ut ad regendum natus videretur. Vir fuit omni virtutum genere ornatissimus, magnæ authoritatis, promotor insignis disciplinæ Monasticæ & Reformationis: Cui hoc ipso anno succedit Joannes Saracenus Atrebatensis, summæ populi senatusque gratulatione, electus, de quo ita Ferreolus Locrius: Fuit

Thomæ de  
Parentij  
Abb. Vedast.

Joan. Saracenus  
Abbas  
Vedast.